

**Disputatio medica inauguralis, de typhi flavi symptomatis et causis ... /  
Eruditorum examini subjicit Thomas MacFarquhar, Britannus.**

**Contributors**

MacFarquhar, Thomas.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1777.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/u4ckbmsy>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5  
Vol. XXVI  
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Typhi Flavi Symptomatis et Causis.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS MACFARQUHAR,

BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Sod.

Medicus qui ad cognoscendum, etiam ad sanandum sufficit.

HIPP.

Ad diem 12. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiæ Typographos.

M, DCC, LXXVII,





GEORGIO MACFARQUHAR,

In insula Jamaica

Chirurgo prudentissimo, solertissimo,

Viro optimo,

Suoque non magis

Nascendi forte, quam

Officiis pietatis fratri,

Ea, qua minorem majori natu

Beneficiis adfectum beneficiorum auctori

Decet reverentia,

Has studiorum primitias

D. D. C. Q.

THOMAS MACFARQUHAR.



ORGIO MACRAGUNAR

In hunc finem

Chirurgo praestantissimo, doctori

Vino optimo

Quod non magis

Nasendi sunt, quam

Officiis pietatis sunt

Et, qui minores, majores sunt

Beneficiis nobiscum beneficiorum ratione

Debet reverentia

Has rationes primas

D. D. C. G.

THOMAS MACRAGUNAR

# DISPUTATIO MEDICA,

## INAUGURALIS,

### DE

# TYPHI FLAVI SYMPTOMATIS ET CAUSIS.

**C**UM a paucis, qui Typhum flavum, sic enim eum, et non, cum Sauvagesio, Icterothem, quod nomen ad falsam ejus notionem ducit, nuncupandum puto, sive obiter, sive ex professo tractaverunt, vix bene morbi ratio intellecta mihi videretur; ideo de hac paulo fusius agere decrevi. Qua explorata, id est, symptomatis et causis explicatis, curatio facile comprehendetur. Quae, illis ignoratis aut falso explicatis, non prava esse non potest. In hac disputatione nusquam a re-



rum verarum fide decessi; et, si rectius, saltem diligentius, interiorem morbi naturam perscrutatus sum, si a receptis quandoque opinionibus dissentire etiam non dubitavi, ea mihi pro virili verum anquirenti, et omnibus rebus anteponenti, venia, spero, dabitur.

### D E F I N I T I O.

In typho flavo, languori, lassitudini, horrori, cibi fastidio, nauseae, pulsibus imbecillis, exiguis, et crebrioribus, calor, anxietas, oppressa quasi pondere praecordia, vultus et oculorum rubor, materiaeque, saepe biliosae, vomitus, primum succedunt; dein, sanguine alicunde passim pro-manante, cum summa debilitate summi ubique corporis flavedo sequitur.

### H I S T O R I A.

Haec febris, ob flavedinem sub finem toto corpore diffusam, vulgo flava, a Gallis *la fièvre matelote*, et *la maladie de Siam*; ab Hispanis *vomi-*



*to pretto*; a Sauvagesio Typhus Icterodes, a nobis Typhus Flavus, nominatur.

Prima in ea symptomata sunt, languor, lassitudo, animae defectiones, capitis cum vertigine dolor. Haec frigoris sensus, horror et tremor ad id magnitudinis, quod rigor dicitur, sequuntur.

Haec incipientis morbi sunt. Quibus mox auctus capitis dolor, cum tergi conjunctus, temporum pulsatio, vultus rubedo, oculorum cum hac ardor, lucis impatientia, anxietas magna, et praecordia quasi pondere oppressa, succedunt. Haec morbi coepti sunt :

Cum incipientis et coepti jam morbi symptomatis relatis corporis actiones varie adficiuntur.

Primo febris adventu, pulsus imbecilli, exigui, ac crebriores, sicuti in definitione dictum est; procedente calore, pleni, magni, celeres et molles, aliquando pulsantes, raro duri, rarius perquam celeres, et inaequales evadunt.

Priorum symptomatum est spiritus creber et anxius; posteriorum, crebrior, plenior, etiam anxius, cum frequente suspirio est.

Illorum est nausea, ut in definitione retuli, sed levior, nec cibi desiderium ullum; horum eadem aucta cum vomitu: Quae plus minusve toto dein morbi



#### 4 DE TYPHI FLAVI

morbi tempore faeviunt, ita quandoque constanter, ut vel brevis morae requies summopere a misero exoptata in deliciis habeatur.

In vomitu magis mediocri cibus et potio, in vehementiore bilis, modo flava, modo viridis, plerumque acris, rejicitur. Eundem anxietas molestissima, caloris intus et circa cordis scrobiculum, tactu dolentem, quasi ponderis sensus semper comitatur. Sitis in aliis intensa, in aliis minor est. Plerisque sapor oris ingratus. Linguam aut albescentem, aut fuscam, aut flavescentem, viscidus mucus obtegit.

Urina, quae primum limpida et decolor est, tempore caloris coloratur, aliquando flavedine tingitur.

Alvus toto morbi cursu durefcit, nisi quod aliquando fusa evadit.

Cutis alias sicca et arida, alias humescit in sudorem prona.

Sic sese actiones vitales et naturales eo morbi, de quo hactenus agitur, tempore habent sese. Sed et eodem animales quoque quodammodo, magis postero, mox memorando, patiuntur. Magna inquietudo et membrorum jactatio, vigilia, vel somnus interturbatus et parum reficiens, aliquando



quando delirium, quod ferius plerumque incidit, urgent.

Symptomata relata aliquando ad secundum, est ubi ad quartum, sed longe saepius ad tertium diem perdurant. Estque hoc primum morbi tempus.

Tertio die mane, aut five maturius, five ferius, primum tempus finitum est, haud parva remissio incidit et leniora omnia fiunt. Pulsus tardiores, languidiores evadunt. Capitis dolor, et calor corporis prope ex toto decedunt; nausea tamen et vomitu quodammodo permanentibus. Quin aliquando grata quies, redeuntis salutis spem faciens, reficere aegrotantem, cito desitura, videtur. Nam,

Brevi post meridiem redintegrantur aucta vi, aut pejore more, symptomata. Vomitus prope perpetuus; quem aliquando sanguinis e naribus stillicidium comitatur, et fitis faevit. Apex linguae et margines, item labra et gingivae, floridius solito, et, quasi inde sanguine prorupturo, rubent. Omnia haec sub noctem augentur, quae plerumque, qua longa est, miserrime exigitur.

Postero die, citius aut ferius summa debilitatis et putredinis adventantis indicia adparent. Languescunt magis magisque vires. Paulatim oculorum



lorum rubedo in fuscum, dein flavum colorem transit; sequente mox toto corpore flavedine. Vomitus quam ante rarior; quo tamen materia, putrescentem bilem referens, nigris sanguinis grumis permixta, et saepe alvo, rejicitur. Urina turbida sedimenti nigrescentis copiam dejicit. Cutis refrigerata sudore viscido humescit. Crescenteque debilitate, quoties caput attollitur, quoties in lecto corpus aegri vertitur, animae dejectiones incidunt. Jam cutis alte flavet. Jam coma cum delirio miti supervenit. Et e naribus, aliquando e gingivis, solutus sanguis effluit. Pulsus humiles, titubantes, inaequales, ordinis expertes, subinde intermittuntur. Spiritus difficillimus laborat; idem male olet, foetet. Urina nigricat. Anxietas ingens; subsiliunt tendines; singultitur; Deliratur prope assidue: Sudor gelidus, frigentibus extremis, diffluit. Postremo, deletis omnibus sensibus, maculae lividae varie corpus distinguunt. Quibus cito mors succedit.

Hic decursus, ut non perpetuus, ita consuetissimus est. Et aliis aegrotantibus, robore, vigore, et habitu discrepantibus, alia symptomatum facies. Aliquando, ubi habitus validus, temperamentum sanguineum, sunt, summam morbi, rapide currentis, vehementiam repente, exhaustis pulsibus,



pulsibus, mors, mirantibus qui forte adfunt, excipit. Alias, finito primo tempore, per brevem aliquam moram, quasi salute redeunte, hilariter loquens navigare in portu videtur, cum valide correptum convulsiones subito morti tradunt.

Adeo provecto morbo, dissolutus sanguis, relaxata firma, sunt, ut insolitis ille exitibus, urinae itineribus, interno oculi cantho, cutis foraminibus, denique cicatricibus, varie diffluat. Idem initio morbi detractus florente rubedine, perquam tenuis, et ubi refrixit, crassamento vix cohaerente, invenitur. Secundo tempore magis etiam solutus, fero perquam flavo, crassamento, aquae spissae et conquassatae instar, undante, aliquando maculis nigris, multum putredinis sapientibus, supernatantibus deprehenditur. Ruente post mortem in putredinem extremam corpore, ingratum incidendi opus et periculum effecerunt, ut quis intus status sit adhuc ignoretur.

Indiae Occidentalis insulis hunc proprium morbum esse, certissimis auctoribus addiscitur: Quem tamen omnibus ejusdem terrarum latitudinis regionibus cum illis communem esse, verisimile est. Advenas, maxime e locis frigidis advectos, prae caeteris adfectat. Quolibet tempore, sed ardente et humido potissimum, incidit.

DIAG.



## DE TYPHI FLAVI

### DIAGNOSIS.

Definitio et historia supra traditae, typhum flavum ab omnibus aliis morbis satis discriminant. Quod flavedo, et duorum temporum, inter se succedentium, propriae notae, ante omnia faciunt.

### SEMINIUM.

Febres aliquando causae simpliciter remotae, principia Gaubiana, faciunt, tumque maxime, cum haec plurimum vi valent. Cujus rei exemplum memorabile Lancisius refert; ubi triginta homines, mares et feminae, in Tibride navigantes, advectis in eos vento ex vicina palude inquinamentis, febre intermittente correpti sunt.

Quo in casu nullum seminium, quod omnibus his subfuisse haud facile concipias, suspicandum erat. Eoque inquinamenta, ut causae simpliciter remotae, egisse existimanda sunt. Similique modo in typho, qui in curia *Old Bailie* dic-

ta,



ta, tanta vi erupit, maximae eorum, qui adfecti sunt, parti nullum feminium fuisse, et contagio, e captorum veste accepta, ut causa simpliciter remota, egisse, existimanda sunt. Nam, si feminium corporis status est, citra justum morbum, et intra valetudinis secundae fines, quodammodo consistens, et non ad morbi justae magnitudinem, nisi ab aliqua noxa, plerumque extrinsecus oblata, adauctum adsurgens; certe omnibus triginta, quos Lancisius animi, non valetudinis, causa, navigare memoravit, et omnibus in illa curia contagione correptis, talem corporis flatum, a summa valetudine descedentem, et ad morbi naturam accedentem, subfuisse non, ut dixi, dixeris. Similique modo in exanthematis, quae certius esse novimus, propria, quae eos morbos facit, contagio causa simpliciter remota est, et sine feminio agit; utpote cum robustissimos et optime valentes homines, ac sine ulla interna corporis conditione, a summa sanitate decedente, variola, rubeola, et pestis, adficient. Verum, plerumque febres non ex causa simpliciter remota sola, nec sine feminio, nascuntur; quae plerumque conditione ad morbosam naturam vicina praeditos, quae conditio debilitas esse solet, adficient. Quod ubi fit, noxa externa, seu conta-



gio, non amplius causa simpliciter remota, quae suis viribus sola in morbum sufficit, sed feminii, quicum conjuncto opere, et sine quo nihil agit, ratione habita, potestas nocens dicenda est. Sic saepe neque inquinamenta palustria febres intermittentes, neque vapor humanus typhum sine debilitate, unde unde orta, faciunt, roborandoque corpus, utrisque nonnunquam occurrere videmur. Quin et ipsa pestis aut saevior in debilibus est, aut nisi hos, propter causae remotae imbecillitatem, aliquando non petit. Certius enim nihil est, quam multos, qui diu morbo resisterant, aliquo casu, ut metu, venere, fame, tandem debilitatos, in morbum demum incidisse, immo etiam periisse. Ut igitur aliae febres, atque ipsa quidem pestis, a propriis quaeque causis, modo tanquam causis simpliciter remotis, modo non nisi cum feminio opus conjungentibus, quo in casu eae potestates nocentes fiunt, nascuntur; ita typhus flavus nunquam a causa simpliciter remota, semper ab hac cum interna conditione, quae ideo est feminium, conjunctim agente, id est, hinc a potestate nocente, illinc a feminio, proficiscitur. Quid ejus feminium sit, deinceps inquirendum est.

Cum,



Cum, ut in historia symptomatum supra contexta videre est, raro loci, ubi morbus incidit, incolae, advenarum ex plagis frigidis maxima pars, morbo implicentur; hinc hos aliqua corporis interna conditione, qua adeo morbo patent, praeditos esse constat. Porro,

Si quam corporis conditionem frigus potissimum pariat, reputetur; eam esse, quae diathesis phlogistica dicitur, concedetur. Prima igitur feminii pars diathesis phlogistica haud dubie est.

Rursus, si neque omnes in morbum tales advenae incidunt, et qui incidunt, alii gravius, alii levius laborant; inde quoque aliquid, praeter id diatheseos phlogisticae, quod omnibus commune est, insuper requiri sequitur.

Hoc vero esse videtur quicquid diathesin maxime intendit. Tale habitus plenus et temperamentum sanguineum sunt. Quae quoniam, florente aetate, maxime vigent; igitur haec quoque ad diathesin augendam pertinet. Postremo, quoniam noxa quaedam est, qui in quolibet loco ad summum gradum eandem illam diathesin intendit, vel ex ea, quae sanitati quodammodo convenit, ad eam quae justum morbum constituit, adauget; igitur ejus noxae, quaecunque est, quae diathesin phlogisticam ad summam incitat, effectus



tus summa quoque et extrema feminii pars habendus est.

Noxa, sic nocens, est quicquid vasa sanguifera, jam ante justo pleniora, insuper implet, quicquid humorum molem, quicquid eorum impetum, auget. Igitur aut perspiratio, unde unde impedita, aut humores calore rarefacti, aut stimulo quovis recto percitati, status corporis sunt, quae diathesin phlogisticam, sanitati congruam, ad morbosam intendit. Cum autem in frigidis locis ac temporibus diathesis phlogistica, sic ad morbosam ex ea, quae citra sanitatem consistit, adaucta, aut synocha, aut aliqua phlegmasiarum revera foret; ita in plaga torrida potestas nocens, typho flavo propria, in talem diathesin coincidens, effectum hujus flectit, et, pro morbi specie ex phlegmasiarum genere, sui propriam, nempe eundem typhum, dabit. Diathesis igitur phlogistica summa, in loco calido, qui consuetum ei in frigidis effectum prohibet, cum nondum in eam nocens typhi flavi potestas, aut non ita, egit, ut illum propria sua forma excitet, incidens, est, ut supra submonui, extrema feminii typhi flavi pars, ea, scilicet, quae ad morbum vicina, in eum mox eruptura est, aut tantum nondum erupit.

Hoc



Hoc igitur omne, quod fufius fupra propofui, feminium typhi flavi eſſe, eo perſuaſum magis habeo, quod omnes res verae, quatenus ab hujus morbi, ſeptentrionalibus viris ignoti, hiftoricis expoſitae ſunt, quatenus iis fides habenda eſt, ad illam opinionem haud ambigue ducunt; quodque melius ea, quam qualibet haftenus oblata, morbi diri tam natura et diagnoſis, quam curandi ratio, explicabilis, mihi ſaltem, videtur. Saepe de ſeminiis eo perplexior ſermo eſt, quod idem ſaepe duplici ratione conſiderandum eſt, nempe, aut quatenus congenitum, aut quatenus acquiſitum eſt. Qui ſcrupulus non hoc argumentum urget. Si enim diatheſis phlogiſtica ita, ut retuli, feminium hic eſt; ea quantumquantum in prima corporis conformatione et generis nervoſi rudimentis, funditus poſita eſt, tamen hic magis acquiſita, quam congenita, nocet; quod res vera ſatis manifeſtat. Nam, licet aliquando ſua temperamento phlegmaſiae creandae pars ſit, quod in rheumatismo maxime cernitur, tamen in aliis aliquibus phlegmaſiis, magisque etiam in typho flavo, habitus eſt qui praecipue nocet.

Ita non ſoli domi rheumatici, ſed maxima pars exterorum eo tempore, quo habitus ſeptentrionalis maxime viget, in morbum incidere ſolet. Non eſt igitur temperamentum ſanguineum, quatenus



tenus temperamentum, id est, conformati corporis pars immobilior, et quatenus purum est, nec ullo alio mixtum, quod feminio hic creando necessarium est; sed ita quidem id, ut multo magis ad effectum, de quo agitur, habitus valeat. Isque ita necessarius est, ut sine eo nihil temperamentum, utut exquisitum, valeat, cum eo quodvis fere feminium creet, saltem exquisite sanguineum non requiratur.

Quod aliter esse non potest; nam certe temperamentum sanguineum multis incolarum Indiae Occidentalis inest, qui tamen nunquam in typhum flavum incidunt, et in iis qui in hunc incidunt, certe exquisite sanguineum temperamentum non semper inest. Quo igitur modo feminium fit? Per habitum haud dubie, id est, per diathesin phlogisticam talem, qualis acquiritur, non qualis a primorum staminum conformatione accepta fit.

#### SEMINII CAUSÆ.

Ad feminii causas perscrutandas, ex plaga torrida ad Europam, ex orbe meridionali ad septentrionalem, redeundem est.

Ibi



Ibi frigus praecipua potestas est, qua diathesis phlogistica inducitur. Cujus effectus est, firma simplicia addensare, id est, particulas ex quibus, inter se cohaerentibus, illa constant, propius inter se adducere. Quod efficiens actio adstringens illa celebris est, nostris cum omnibus corporibus communis. Et quoniam effectus ejus is, qui modo retuli, est, igitur nobis quoque cum aliis omnibus corporibus hoc commune sit necesse est, ut omnia pro frigoris, cui patent, magnitudine in minorem molem cogantur. Reque vera in frigidis, quam calidis, terrarum regionibus tam alia omnia fere, quam hominum, corpora minora esse constat. Verum enimvero non in omnes corporum partes frigus aequae agit. Externae solae, et his proximae, ab eo adficiuntur. Itaque, ut ejus in aliis corporibus actionem omittam, haec in nobis extrema in summo corpore vasa afficiens, horum diametros imminuit, excernendique iis humoris copiam intus retinet: Qui frigoris in summo corpore effectus alium intus et toto quidem corpore gignit, de quo deinceps dicendum.

Humoris per extrema summi corporis vasa excernendi retentio primum, protinus et recta efficit, ut humorum omnium generum in omnibus  
vasis



vasis crescat abundantia. Nam, cum neque vasis perspiratoriis, neque interioribus extremis excernentibus, quae, in hoc corporis statu densa quoque, insolitam copiam non recipiunt, excernendus humor effluere queat; is in omni omnium vasorum citra fines spatio, eoque in majoribus, et hoc etiam in sanguiferis, non accumulari non potest. Cumque, ut semper, aliquo stimulo, quo excitentur, fibrae omnium generum musculares, aliae voluntatis, aliae aliis, egeant, solitumque, quo eae, quae vasa humorifera cingunt, excitantur, is fit, quem proprius quisque humor praebet, et hic ipse distendendo stimulet; igitur, quo abundantior in vasis humor perfluit, eo majorem distentionem, majorem stimulum, independentem, fore sequitur. Hic stimulus, ex aucta copia distendente pendens, fibras vasorum musculares ad actionem excitans, quatenus id facit, potestatem nervosam iisdem fibris inhaerentem, eoque non solum contractiones earum, sed et in has proclivitatem, adauget, aucta ad contractiones proclivitas tonus, habita stimuli, seu irritamenti, quo id fit, ratione, irritabilitas, respiciensque contrahendi se fibrarum potestatem, contractilitas nominantur; ubicunque igitur vasorum  
rum



rum abundantia est, ibi idem fiet. Eoque toto corpore, per omnia vasa irritabilitate praedita, idem ubique ex causa relata status est. Qui status, universo sic corpori communis, Diathesis Phlogistica ab omnibus nuncupatur, ab omnibus agnoscitur. Neque quidquam in toto orbe medico notius, quidquam certius, aut minus controversum est. Et, quatenus diathesis phlogistica ab humorum abundantia, quae potentissima et sola fere paulo constantior ejus causa est, haec a vasorum perspirabilium constrictione, pendet; eatenus frigus ejus potentissima est origo. Qui frigoris effectus Tonicus nominatur, pendetque, quod minus vulgo a medicis intelligi video, ab adstringente supra relato. Adstringens enim, quatenus adstringens, nusquam, nisi ubi frigus praesens agit, agere potest. Tonicus, jam explicatus, alia ratione diathesin phlogisticam auget. Augendo enim inhaerentem omnibus omnium vasorum, iis praeditorum, fibris muscularibus potestatem nervosam, eandem in nervis eas inter et cerebrum, quae nervosa propria, et in cerebro demum ipso, quae animalis, nominatur, auget. Aucta potestas animalis, praeter alios ejus in sensibus, in motus voluntarii instrumentis, et in animi actionibus, effectus, qui ad praesentem rem non attinent; nervosam in om-



nibus nervis cerebrum inter ac cor et arterias, eoque inhaerentem horum omnium fibris muscularibus, adauget. Atque sic diathesis phlogistica hac quoque ratione nascitur. Estque hic tonicae frigoris actionis quoque effectus. Denique, quoniam sic a frigoris actione, vasorum perspiratoriorum fines adstringente, diathesis phlogistica pendet; ita eam majorem aut minorem fore, prout illa actio major minorve sit, haud obscurum aut anceps est. Magna constrictio, quia, valetudine salva, paulo diutius permanere nequit, ut phlegmasiam aliquam, aut etiam typhum flavum, a relativo frigore oriens, inferre, et sic potestatis nocentis vice fungi potest; ita ad seminium faciendum neutiquam valet. Quae hoc modo nocet et feminii causa fit, ea constrictio est, quae non obstruit vasorum perspiratoriorum ora, sed minus patentia reddit, et non totum humorem excernendum, sed partem ejus, intus retinens, abundantiam sanitati congruam creat. Quod, quo modo fiat, ex principiis jam propositis facile intellectu est. Sed adstringens, tonicam pariens, non sola frigoris, diatheseos phlogisticae creatrix, actio est. Alia restat, de qua pauca dicenda sunt. Ea

Stimu-



Stimulans frigoris actio est. Haec in summum quoque corpus, in cutem, ut adstringens, dirigitur, sed non, ut ea, ibi solum continetur. E contrario, cerebrum cito adficiens, ad universum corpus communicatur.

Cujus, quae mihi verisimilior, quae probabilior visa est, explicationem paucis accipe. Summo corpori admotum frigus, in extremis nervis sentientibus, subter cuticulam ubique dispersis, sensus initium, seu in parte sensibilitatem, et in extremorum vasculorum atque ipsius cutis (si quae, quod eo verisimilius est, quod hic actio quaedam corrugatoria animadvertitur, ei sunt), fibris muscularibus motum ubique imminuit. Haec per frigus in summo corpore sensus et motus imminutio revera sedans actio est. Quam eo facilius intelliget, si quis naturae corporis animati gnarus, multa in id agentia non tam potestate sibi propria, quam ratione quam ejus habent, agere, et contrarium suo effectum per vim quandam illi incitam parere, animadverterit. Quam rem, inter multa alia, frigoris actio per se sedans, per illam corporis vim stimulans, evadens, clarissime illustrat. Imminuta enim ibi, ubi dictum est, sensus, imminuta motus facultas, per nervos utriusque illinc ad cerebrum euntes, dein in ipso cerebro



rebro potestatem nervosam, quae in illis proprie nervosa, in hoc animalis, potestas dicitur, imminuit, pro gradu suo ad extinguendam pertinet, eoque exitium vitae minatur. Ea noxa, aliquo modo nobis incognito, potestatem animalem, seu cerebri actionem, afficit, ut hanc, fuscitatis viribus, cerebrum majorem et validiorem solito reddat, et sic sedantem vim in stimulantem vertat. Atque sic frigus in potentissimum morborum remedium saepe vertitur. Quin et alia, item medicamenta, et impulsus quidam, in corpora nostra sana agentes, solitaeque illorum actiones, sic ex sedantibus stimulantia, et quandoque contra, fiunt. Vomitus naturalis saepe ex ventriculi et cerebri debilitate pendet, quod cibi nullum desiderium, dein etiam fastidium, tum nausea, praecedunt, manifeste e debilitate pendentia, satis superque declarant. Neque sic quoque agere, si non omnia, saltem multa medicamenta, maximeque ea, quibus illa debilitatis manifestae indicia ei praecedunt, dubitandum est. Et si sic agunt, id, sedante vi in stimulantem versa, fieri, aequum videtur. Contraria ratione ebrietas, si per opium siue potione merace fit, his naturaliter stimulantibus, perque generis nervosi vim dein sedantibus, fieri intelligenda est. Sic, ut dictum est,

agentia



agentia emetica, opium et potio inebrians, in nervorum sentientium fines et fibras musculares ventriculi agunt, utraque ibidem actionem, illa imminuendo, haec augendo, adficiunt, suam quaeque actionem propriam ad cerebrum perferunt, et per hujus mutationem in contrariam propriae vertunt. Utravis autem e duabus actionibus relatis ultima cerebri fit, five aucta demum five imminuta; ea primum ad partem, ubi contraria primum coepit, dein ad totum corpus communicatur. Si aucta est, in omnibus nervis ad tactus et reliqua sensuum instrumenta, in omnibus ad motus, five voluntarii, five non voluntarii, instrumenta, euntibus, nervosam propriam, et omnibus fibris muscularibus, quae sola motus instrumenta sunt, inhaerentem, potestates, eoque simul sensibilitatem, simul contractilitatem, auget. Si imminuta eadem est, in omnibus partibus relatis potestates relatae, sensibilitasque et contractilitas, imminuuntur. Quam rationem porro somni et vigiliae ratio confirmat. Nam quorsum alio, nisi huc, pertinet, quod vigilia, aliquot horas permanens, quae certe excitando, et somni similis diuturnitas, quae aequè manifeste sedando, in potestatem animalem agit, illa hunc, hic illam, inducunt? Ut ad rem redeam:

Frigus



Frigus sic, ut retuli, non semel, sed saepius et diutius agens, toties et tamdiu effectum suum stimulantem edit, in habitum demum consuetudine vertit, et sic ad diathesin phlogisticam stimulando, quodammodo adstringendo, et utraque actione tonum augendo, pertinet. Sed stimulans frigoris actio, ut adstringens supra dicta est, ad diathesin, in qua feminium consistit, dandum, modica magis, sed constantior et paulatim agens, requiritur. Major gradus subitoque agentis ejusdem phlegmasiarum causam proximam facit, a typhi flavi tam hac, quam feminio, prorsus abest.

Victus quoque feminii hujus causis adnumerandus est. Quod is, diathesin quoque phlogisticam creando, facit. Hanc autem dupliciter, recta ventriculum, et vasa omnia implendo, facit.

Quae autem utrobique sic agit cibi materia eadem est, nempe, maxime stimulans, maxime alens, et digestu paulo difficilior. Haec uno verbo caro est. Cujus, ex genere plantarum paratae, materia et minus stimulat, et minus alit, ut nemini non notum est; et, licet in imbecillis ventriculis tumultum movere, et fero digeri soleat, in sanis tamen, qua sui parte solvi omnino et digeri potest, ea citius digeritur. Sola in victu  
cibi



cibi materia et caro sola, sic vasis implendis, nocet.

Aromata omnia solo stimulo nocent.

Idemque de potione dicendum. Nam, licet aquosa et tenuis implere vasa videatur, non tamen implet; siquidem vasa rubra certam copiam tantum receptam retinent, et quicquid super hanc est per excretiones aquosas rejiciunt. In tali autem habitu, qualis is, de quo agitur, est, excretio, supervacuam aquae copiam recipiens, perspiratio est; interioribus, ad quas tum solum, cum vascula excernentia relaxata et tono immunito sunt, abundantia aquosa vertitur, hanc propter suum hic tonum rejicientibus. Stimulans autem potio omnis merax est, five vinosa, five spirituosa, vel etiam haec diluta, sed larga.

Quod in victu vasa implendo diathesin phlogisticam facit, id eodem modo, quo constrictio, supra relata, agit. Quod in eadem stimulando agit, ejus stimulus in fibras ventriculi motrices et nervorum sentientium fines dirigitur. Unde per nervos medios ad cerebrum, hinc per alios interpositos nervos ad cordis et omnium vasorum, irritabilitate praeditorum, fibras motrices, rursus conversus, ita agit et diathesin phlogisticam accendit, ut fusius jam explicatum est.

Frigoris



Frigoris et victus actiones explicatas prae caeteris aetatibus florens recipit. Quo tempore arteriarum plethora, centies in hac academia explicata, summa est vigetque. Qui status arteriarum est, ubi magna ubique sanguinis copia has replens earum actionem summopere excitat. Agitque copia et excitat actionem eodem ipso modo, quo supra explicata est. Valet autem ad feminium dandum hic arteriarum status ita, ut si aliae causae feminii accesserint, eo certius et facilius morbus erumpat. Quod dictum observatio quoque confirmavit. Nam neque mulieres, neque pueri, neque aetate provecti, tam opportuni typho flavo sunt, quam aetate florentes.

Absoluta de feminii causis sermone, ad potestates nocentes, seu eas noxas, quae, feminio praesente, cum eo agentes, morbum excitant, transgrediendum est.

### POTESTATES NOCENTES.

Potestates hic nocentes sunt typhi communis propria, aliaeque hanc excitantes et augentes, quae typhi quoque sunt, cumque his calor ingens subito incidens. De quibus ordine agendum, et a calore incipiendum.

CALOR



## C A L O R.

In India Occidentali, et, prae caeteris locis, in insula Jamaica, calor raro infra lxxiv. thermometri Farenheitiani decidit, saepe ad lxxx. vel lxxx. gradum adsurgit. Idem in plerisque Europae locis, ubi hyemes longissimae aut faevissimae sunt, etiam aestate raro punctum illud superat, ubi gratus et jucundus est, quod lxii. ejusdem thermometri gradu notatur. Ex hoc igitur in illud coelum subito transgredi summo-pere corpus commoveat necesse est. Primus autem caloris, vel potius ardoris, effectus sanguinem rarefacere. Quod semper citius omnis calor efficit, quam firma relaxit. Hinc, cum sanguinis moles eodem fere modo ac copia aucta agat, diathesis phlogistica multum augeatur, et saepe ad id quidem, sub quo morbus incidit, necesse est. In frigidis regionibus, ut vere apud nos, morbus, sic calorem sequens, alia aliqua phlegmasia esse potest, sed potissimum rheumatismus est.

In India Occidentali longe diversa mali facies imminet. Effectus rarefactionis in summum corpus dirigitur, propterea quod, quicquid cor-



dis et arteriarum actionem auget, id perspirationem, ab illorum vasorum statu pendentem, quoque auget. Hinc haec saepe ad sudorem usque intenditur. Sed, praeterquam quod ad summum corpus dirigitur, et perspirationem auget, aucta cordis et arteriarum actione, calor; alia etiam ratio est, qua idem efficit, nempe illo, quo, dum sic intus rarefaciendo agit, in summum corpus agit, stimulo.

Utroque igitur modo aucta perspiratio, semper immodica, semper ad sudorem usque provecta, ob id ipsum, in suppressionem pronior, simul ac augminis causa vel brevi mora subtracta est, evadit.

Hic corporis status terminio et causae proximae quasi medius est, ita tamen, ut post coeptum morbum aliquantisper permanens, hujus pars fiat. Sed quoniam idem status diathesis phlogistica, ad summam magnitudinem provecta, est, et in debilitate morbus consistit; igitur, hoc coepto, protinus flexus, cito ex toto sublatus, contrario statui morboque naturali, dein cedit. Quae res ad id, quod proximum in potestatum nocentium numero est ducit.



## SUPPRESSIO PERSPIRATIONIS.

Ob id ipsum quod nimia est, supprimi dein perspirationem solere dictum. Nam, quo auctior quaeque excretio, eo, causa augminis sublata, et, quam pro ratione, magis imminui eandem, commune est. Sed praeter hoc, quod perspirationi cum omnibus excretionibus commune est, in casu non deest propria quaedam et potentissima perspirationis suppressae causa. Ea refrigeratio est, quae vespertino et nocturno tempore, in India Occidentali et similibus plagae torridae tractibus, ex roribus incidere solet. Per hanc, magisque, si statim ante multum forte adaucta est, perspiratio subito et potenter supprimitur. Et si spasmodica simul causa, quod verisimile est, huic vasculorum perspiratoriorum constrictioni superadditur, eo certius eventus nocens incidet. Estque haec frequentissima typhi flavi causa. Quippe imprudentissimi advenae et periculi ignari oblitivae, aut suo corporis robori nimium confisi, post aestum diurnum, saepe postquam vino incaluerunt, roribus nocturnis temere, et cum suo magno malo, non timent se committere.

VAPOR



## VAPOR HUMANUS.

Sic morbus incipit ; sed non ex solis iis noxis. Propria quaedam est, sine qua aliae omnes nihil valent, et morbus non exoritur. An ea eadem, quae typhi communis propria, causa est ? Ita esse res verae suadere videntur. Nam typhus, omnibus terrarum orbis regionibus communis, ab illis ubi flavus saevit, non alienus, praeter advenas, omnes alios, ut alibi, quoque adficit. Advenis autem nunquam communis, et, si ulla febris, typhus flavus incidit. Unde diathesin phlogisticam, a typhi communis causa et caloris magnitudine flexam, illum sub flavi forma facere, verisimile est. Quae conjectura hac porro re confirmatur, quod ipsi advenae, si aut post primum adventum typhum flavum effugerint, aut postea in febrem implicentur, ea semper fere typhus communis, vix unquam flavus, prodit. Vapor igitur, aut a corpore typho quovis laborantis, aut ex aliqua, ubi recondita majorem nocendi vim acquisiverit, materia, qualis vestis, aut suppellex est, acceptus, et corpus alicujus eo, quod relatum est, seminio praeditum,



praeditum, sub subita perspirationis suppressione, adficiens, propria typhi flavi potestas nocens esse videtur. Quam, quia plagae orbis saepius relatae propria esse videtur, si quis ideo a solo nasci et communi aëre ad corpus humanum deferri, forte credet, id non ita esse respondeo; quod, excepto uno aut altero circa initium die, quod typho etiam communi accidit, neutiquam intermittentium generis febris esse comperta est; quod tamen foret, quoniam, quoties inquinamentum solo nascitur, ex hoc febris oriens semper intermittentium aut remittentium generis evadit.

Is vapor, quod primum morbi tempus nominavi, eo, et symptomatis ejus, item flavedine secundo tempore superveniente exceptis, caeteroquin ita fere, ut in typho communi, agit et eadem fere symptomata parit.

## C A L O R.

Verum inde omnia symptomata in neutro morbo, five typho flavo, five communi, et tantum necessaria, exoriuntur: Nam, ut in frigidis regionibus



onibus ex diathesi phlogistica, iis propria, quaedam pendent, et initio sub diversa forma, qualis synochus nominatur, apparent; ita in calidis locis diversa quoque, tam ab his quam a morbi propriis, nempe, putrida superveniunt. Horum causa calor est. Qui ut, an sola et tota putredinis in febribus causa sit, incertum, ita maxima causae pars pro certo est. Hinc enim, ubi calor mediocris aut nullus est, vix ulla putredinis symptomata, et contrariae notae, incidunt; illinc, ubi magnus est, ut in regionibus plagae torridae ardentibus, vix ulla febris cujuslibet generis sine putridis notis adparet. Putrida autem symptomata non ex potestate nocente, typho cuivis propria, pendere hoc addisci potest, quod a diversa ortae febres remittentes et intermittentes saepe cum putredine, semperque fere cum coeli calor maximus est, existunt. Utcunque vero hoc se habeat, et siue potestas nocens per se aliqua ex parte, siue non, putredinis notas trahat; calorem tamen, has provehere, et causae earum vim validissime intendere, nemo inficias ibit. Quem, quoniam in omnium generum febribus, e diversis causis remotis ortis, si satis magnus est, putredinis indicia, et in nullis, ubi ille mediocris aut nullus est, nascuntur, ideo solam fere horum causam esse,



esse, fatis certum pro observatione medica videtur. Calor propriam potestatem nocentem simili fere modo agendo juvat. Quippe enim nimio suo stimulo ita in summo corpore, cui admoveatur, ut supra explanatum est, agit, et ita quoque cerebrum, jam ante debile, insuper debilitat. Qua id fit, scilicet, qua stimulans vis in sedantem vertitur, lex corporis tum alioquin nota, tum etiam ante explicata est. An vero putredinem, fermentum putridum humoribus insinuando, gignat? vix credo; isque potius opus alkalescens illud, ad quod humores sine tendunt, augendo, et in majus provehendo, agere mihi videtur. Quo autem modo id prorsus fiat, non audeo dicere.

#### POTESTATES AUXILIATRICES.

Aliae causae, tam typhi communis quam aliarum febrium, a medicis commemorantur. Quae, ubi propria causa simpliciter remota est, eam adjuvant, et pejorem morbum reddunt; ubi illa per se viribus deficit, et sine subsidio nequit agere, eoque, ut in hoc morbo, pro potestate nocente habenda est, tum eae causae additae in omnibus febribus vires ejus augent, et morbo gignendo



do habilem reddunt. Quae, quia in omnibus casibus causam propriam adjuvant, in nullis solae, quantum certiore ulla observatione cognitum est, morbum inferunt; ideo potestates auxiliatrices dicendae sunt.

Sunt autem concubitus iusto frequentior, vigilia, affectiones animi sedantes, et consimilis mentis actio, ebrietas, fames, carnis nimius usus.

Concubitus vasorum genitalium nimia exhaustio est; unde per nervos ea inter et cerebrum sedans effectus ad cerebrum, et inde, imminuta hujus actione, ad omnes totius corporis actiones communicatur. Hinc ubique debilitas, satis viris nota.

Ebrietas, primum nimio stimulo sentientes nervorum in ventriculo fines, et fibras musculares exercens; inde, ob id ipsum quod nimius stimulus est, sedans vis ad cerebrum et totum corpus, ratione satis nunc nota, communicatur. Fames, partim vasa exhausta relinquendo, partim debitum finibus nervosis et fibris muscularibus in ventriculo stimulum non suppeditando, utraque ratione hinc ab his, inde a fibris vasorum ubique corporis motricibus, ad cerebrum, perque hujus affectionem ad totum corpus, sedantem labem spargit.

Affectio-



Affectiões animi deprimentes, quales metus, moestitia et animi dolor, sunt, ipsum cerebrum, animi sedem, et sic omnes corporis actiones, via explicata, sedando, haud dubie nocent. Et, quoniam, in omni fere casu, quicquid nimis stimulat aut in corpus debile mediocri magis stimulo agit, eodem fere, quo sedans vis, lege corporis supra memorata, redit; ita hic quoque affectiões excitantes sic vere, aut ratione debilitatis habita, idem eventu, quod recta sedantes, agere possunt. Quod si ita est, ira et gaudium quandoque hic noxae esse possunt. Et, si sunt, cerebrum primum ad nimiam actionem excitando, hanc dein, cumque ea omnes corporis, ab illa pendentes, imminuunt. Quem eventum, eodem modo explicandum, satis certo nimia mentis actio trahit.

Carnis usus immodicus, quo modo ad seminum faciendum pertineat, supra in diatheseos phlogisticae causis enarratum est. Sed idem, feminio jam ante intus existente, ad morbum excitandum pertinet, nocensque fit potestas. Ejus autem, feminio jam parato et calore insuper in corpus extrinsecus agente, effectus diversus a priore est; utpote qui ad alcalescens humorum opus promovendum, et corpus minus nunc,

E

quam



quam ante, validum, debilitandum pertineat. Quin et non solum cum imminutae vires, sed etiam cum validae sunt, stimulans vis sedando nocere potest. Quae in illo casu etiam solita, in solito major, in utroque, nimia, aut propter suam magnitudinem aut propter corporis debilitatem, nocet.

Hae omnes potestates auxiliatrices mihi, et non, ut quibusdam placuit, feminii causae, visae sunt. Si enim feminium diathesis phlogistica est, seu validus et robustus corporis supra debitum status, certe illae, quae manifesto debilitando omnes agunt, ejus causis non annumerandae sunt. Si temporis ratio habetur, eadem intra breve temporis spatium, antequam erumpat morbus, coguntur, et minime tales noxae habendae sunt, quales, paulatim et diu agentes, effectum suum, ut feminii tamen acquisiti causae semper, edunt. Denique, si corporis, in quo positus et fundatus morbus est, status, scilicet, debilitatis, respicitur, eumque facere potestates nocentes, etiam debilitando, unde nomen, adjuvant; igitur hoc quoque nomine ita de his, ac factum est, judicandum.

Ex his omnibus, quae praesente maxima vi agit, et quasi uno impetu morbum infert, subita, post magnum aestum aut vehementem corporis actionem,



actionem, refrigeratio est. Ita aut sub solis ardentis radiis exercitatio, aut potationis excessus, corpus multum excitans, quibus rores nocturni nebulaeque aut frigida aqua, aestuante corpore, e-pota successerint, morbum promere solent.

### CAUSA MORBUM CONTINENS.

Divisus, ut in historia videbis, in duo tempora morbus. Quorum prius aliqua ex parte inflammatorium est; posterius in debilitate et putredine ita consistit, ut harum causa etiam ante intus latuerit. In illo quicquid vere inflammatorium est, id a diatheseos phlogisticae, in frigidioris regione acquisitae, reliquiis pendet; quantum ad debilitatem morbus etiam tum vergit, id a potestate nocente propria, auxiliatricibus aucta, efficitur. Quod, morbo procedente, putredinis signa apparent, id aut ab ardore solo, aut potestatem propriam adjuvante, nam utrum verum sit adhuc ambigitur, exoritur. Uno verbo, ut nostram notionem explicem, si hinc diatheseos inflammatoriae reliquiae, illinc ardor, abessent, morbus typhus communis foret. Sic primi temporis symptomata nasci eo facilius credes, si, quo plus debilitatis



debilitatis etiam ab initio est, eo minus illa adparere, Makittricium auctorem audias \*. Quae res non necessarium secundo tempori primum, et illud aliunde esse, confirmat. Putrescens vero morbi pars nihil in febribus insolitum est; quippe quae, ut supra dictum est, in omnium febrium continuarum genere, in calidis regionibus appareat, neque ibidem a febribus intermittentibus aliena sit. Unde, ut supra quoque submonui, non tam causarum unicuique feбри propriarum, quae diversae idem efficere non credendae sunt, quam caloris, cujus, quoniam idem est, in omnibus eadem actio sit necesse est, putredo effectus putanda est. Causa proxima igitur videtur cerebri actio, per causas remotas, maximeque vaporem illum contagiosum, huic et omnibus regionibus communem, imminuta, adjuvante vel seorsum agente, et excepto quod putredinem infert, idem agente, calore, omnes corporis actiones, et inter reliquas, cum aliorum omnium, tum prae caeteris extremorum, maximeque in externa corporis superficie, vasorum actionem imminuens. Haec extremorum vasorum actionis imminutio, cum a tergo nullus impetus, ut in hoc casu,

\* Dissert. inaug. p. 32.



fu, urget, ea est, qua pro contractionibus cum relaxatione fibrarum muscularium alternantibus, qui naturalis eorum in secunda valetudine actio est, una contractio sine ulla relaxatione immobilis diu permaneat. Quae affectio spasmus ille febrilis, nunc ubique satis celebris et pervulgatus, est. Qui, in omnibus febribus, ab earum causa propria quoniam pendet, et haec in omnibus sedans est; ideo a debilitate ortus, in hac totus consistit. Quam rem porro confirmat febrium curatio, quae intermittentium tonicis, continuarum his, aut etiam stimulantibus, peragitur. Differt autem ex affectione ei quodammodo simili duplici, nempe, musculorum immobili contractione, qualis ea est, in qua tetanus constat; et fibrarum muscularium tubos, plerumque magnos, quales canalis alimentarius, et forsitan ductus biliferi, et infundibula renalia et ureteres sunt, cingentium, similiter persistente contractione, ex qua gastrodynia in dyspepsia, colica et spasmus ille, calculos biliarium aut renalem comitari solitus, constat; id quod tam causae remotae, quam curatio, iis affectionibus propria, ostendunt; nam tetani causa irritatio, actionem cerebri excitans, remedium opium, hanc sedans, sunt. Alterarum affectionum distensio iis rebus, quae relaxant, eo-  
que



que balneo, emeticis et opii usu tollenda. Quare autem aucta cerebri in tetano actio instrumenti voluntariae motionis actionem augens, involuntariae imminuens, eandem tamen immobilem contractionem creet; aut qua in re causa differens adeo differentem effectum edat, dicere non possum.

Resne verae finunt, ut inde, an spasmus febrilis ullus sit, addubites. Certe, si est, non diu in ulla febre ita permanet, ut extrema vasa prorsus occludat, obstructionem compleat. Nam et ante febrium intermittentium solutionem, ante sudorem, morbum finire dictum, aliquamdiu non amplius cutis arefcit, aliquamdiu etiam humescit; et multos dies ante typhi finem idem fit. Quin et non solum in typho et synocha, sed etiam in typho flavo, diu adeo nulla vasorum perspiratoriorum obstructio est, five major, five minor, id est, adeo non ulli, aut parcius solito, humores exprimuntur, ut, e contrario, tam soliti, quam etiam alii, et pro vapore caeco serofitas, immo ipse sanguis integer, undique diffuant; idque fiat, cum nullus a tergo tamen impetus urget, contra cordis et arteriarum, unde perspiratio pendet, actio imminuta ubique est. Hunc debilitatis et atoniae statum non retardat, contra auget, accelerat, praecipitat,



praecipitat, quicquid toni et roboris ex diathesi phlogistica superest. Simul enim ac potestas nocens, nempe vapor humanus, et coeli ardor, agere et corpus afficere incipiunt, eorum in corpore effectus debilitas et atonia contrario illi statui succedunt, et tanto etiam magis, quanto citius sub stimulante actione, quam sine hac, debilitatum corpus in debilitatem porro ruit. Unde non sine causa Cullenus magnus et prudentissimus quisque medicus, etiam in typhi purioris curatione, a stimulante vi, five constantius, ut in synochi initio, five casu, ut in typhi fine, etiam cum summa alioquin debilitas praevalet, cavendum, et hoc pro consilio proponendum, putant. Uno verbo quicquid typhus flavus a typho communi discrepat, si debilitate rapidiore et putredine altiore glisset, id omni diathesi phlogisticae, a sedante noxa raptim et violenter, finitae, calori-que, cum jam sub debilitate totum corpus est, primo quoque tempore, ob repentinum adventum, corpus, ei minus affuetum, stimulante et insuper debilitanti,tribuendum est. Cum enim ab initio minus roboris, ut, Makittricio auctore, modo monitum est, apparet, cum serius aliquis post adventum in morbum incidit, tum hio sine primi temporis symptomatum tumultu mollius, placidius,



dius, et typhi communis in calidis regionibus similis, deducitur. Idemque de incolis, in typhum implicitis, qui non flavus, sed communis est, dicendum.

Haec igitur hujus morbi causa est, et non, ut nonnulli existimaverunt \*, bilis putrida. Quae si causa sit, cur in illis locis nati aequae huic, ac aliis in bile vitiata positus, morbis non opportuni sunt? Quin et bilem non causam sed effectum esse, posthac sub symptomatum explicatione dicetur. Neque contagio, aliunde orta, et ad Indiam Occidentalem transvecta, ut alter vir † judicavit, morbi origo, si aut raro aut nunquam contagiosus in illis locis est, quod accuratissima observatio docet, aut, quod nos supra diximus, verum est. Cui notioni eo minus insistendum est, quod ipse ille vir postea errorem suum agnovit ‡.

### SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Incipientis morbi symptomata, sive animalium actionum, ut languor, lassitudo, animae defectio-  
nes,

\* Hillary, diseases of Barbadoes.

† Warren's letter to Dr Mead.

‡ Pringle's diseases of the army, page 197.



nes, item frigoris sensus, membrorum jactatio, vigilia vel somnus interturbatus et parum reficiens, et aliquando delirium; five vitalium, ut spiritus creber et anxius, item pulsus imbecilli, exigui, et crebri; five naturalium, ut nullum cibi desiderium, nausea, et vomitus, urina limpida et decolor, alvi durities, cutis justo ficcior aut humidior, omnia etiam ab initio, sedantem noxam incubuisse, et debilitatem factam esse, declarant.

Animalium actionum affectio ex cerebri actione, five potestate animali, per potestates nocentes, imminuta, est: Per quam fit, ut in motus voluntarii organa per nervos cerebrum inter et fibras eorum organorum motrices intercedentes, potestas nervosa parum valide ad has fibras perveniat, et in iisdem minus permaneat. Hinc languor et lassitudo, animae defectiones, cordis, sanguinis debitam copiam ad cerebrum non perferentis, debilitati debentur. Quod eandem in potestate animali, in nervosa in nervis cerebrum inter et cor, et in ea quae fibris hujus inhaeret, impotentiam denotat. Frigoris sensus, debilitata eadem potestate animali, nervosam in nervis sentientibus cerebrum inter et cutem, et in eorundem finibus, per quam sensus fit, imminui significat. Cumque five calori, five ejus sensui, necessaria sanguinis in parte

F

sentiente



sentiente cum impetu copia fit ; igitur sensus im-  
 minutio imminui hanc ostendit. Membrorum  
 jactatio eandem explicationem, quam languor et  
 lassitudo, recipit ; quia omnis, vel brevis et faci-  
 lis, positura in debilitate pariter, ac longa et diffi-  
 lis in robore, delassat. Contractio enim fibrarum  
 muscularium in motus voluntarii instrumentis,  
 per naturae legem, in necessarios corpori usus,  
 necessario cum earundem relaxatione alternat.  
 Quo fit, ut, siue longior seu molestior illa fuerit,  
 stimulus nimius fiat, quo non contractio augeatur,  
 sed relaxatio ei succedat, id est, non aucta sed  
 imminuta actio efficiatur. Et quod diuturnitas et  
 difficultas in robore, id in debilitate haec utra-  
 que minor, praestat. Vigilia autem est, vel som-  
 nus interpellatus et parum reficiens, quia cum de-  
 bilitate et atonia irritatio, ut fere semper in omni  
 simili casu, conjungitur. Ea hic irritatio partim  
 calor, summum corpus stimulans, partim nervosi  
 generis irritatio, re quam natura notior, est. Ta-  
 lis irritatio nervosa extremo typho communi, cum  
 omnia debilitas obtinet, haud raro cernitur. Est-  
 que ejus duplex illic causa ; altera inflammatoria,  
 qua fit, ut saepe iuxta phrenitis symptomata inci-  
 dat ; altera ex ipso debilitatis statu pendens : Id  
 quod stimulus remedio futurus ostendit, dum  
 alteri casui detractio sanguinis succurrit. Utrius-  
 que



que generis irritatio huic quoque casui incipienti subest, quod sanguinis detractio, opem ferens, dein tonica auxiliantia, declarant. Ultra has res veras explicatio nostra nequit procedere. Quod de vigilia et somno parum sincero, id de dilirio, dicendum. Cujus duplex eadem irritatio causa, duplex, sedans aut stimulans, eodem modo remedium. Et utrique adfectioni porro commune est, potestatem nervosam, scilicet, animalem dictam, per omnes partes cerebri non aequè libere meare, et alias excitatas, alias non, teneri.

Quod ad vitales actiones attinet; earum quoque ex cerebri actione imminuta affectio pendet. Ita spiritus creber et anxius, quatenus parvus et cum debilitatis indicio est, tam a cordis et articularum imminuta actione, quam a cerebri per nervos ad fibras musculares arteriolarum extremarum pulmonalium recta perveniente quoque imminuta, oritur. Quo utroque modo fit, ut sanguis parcius et minore impetu per vasa pulmonum perfluens, haec non satis distendat. Hinc spiritus tractio, etiamsi potestates thoracem amplificantes sufficerent, non satis, ob imminutum sub ea sanguinis per pulmones motum, sustentatur. Et, quia non satis sanguinis ad cor sinistrum pervenitur, igitur ad hoc implendum et systolen sustentandam,



tandam, altera tractione citius solito opus est ; ut, quod deficit quantitate, frequentia compensetur. Sed, praeter hanc causam, in vasorum sanguiferorum statu positam, et eventu a cerebri statu, atque etiam recta ab hoc, pendentem, alia insuper causa est, ab eadem cerebri actione imminuta recta quoque pendens. Nam fibrae musculares diaphragmatis, quae constantissima causa spiritus tracti, deducendo in planum diaphragma et thoracem cavum amplificando, est, hoc tempore, item utriusque musculorum intercostalium ordinis alterae fibrae, denique, multorum musculorum, a cervicis et tergi vertebriis, a scapulis, ab humeris, et a claviculis nascentium, ac costis insertorum, et harum, cum opus est, adscensum adjuvantium, fibrae innumerae, omnes, propter imminutam sibi propriam potestatem inhaerentem, imminutam in nervis has inter et cerebrum intercedentibus nervosam, et animalem demum, ut toties dictum satis intelligitur, imminutam, minus valide debitas contractiones peragunt. Quo fit, ut thorax in neutram partem satis amplificetur, et sanguis hinc quoque per vasa, non satis explicata, parum libere transfluat.

Pulsus imbecilli et exigui, a potestate fibrarum cordis muscularibus inhaerente imminuta, per  
nervosam



nervosam et animale, satis superque explicatam, fiunt. Eorundem crebritatem facit, nulla cordis sanguine non satis distenti, eoque stimulati, systole perfecta, sanguinisque post unamquamque aliquid superstes, et plus parce influens, novam, et, ob eandem causam, quoque imperfectam, usque excitans. Cui causae adjici potest, illa cerebri cum debilitate conjungi dicta irritatio, vi debilis sed assidua, eoque effectu frequens.

Ex actionibus naturalibus, nullum cibi desiderium, nausea et vomitus, ex potestate animali immutata, hinc nervosa in nervis ad fibras ventriculi motrices euntibus, hinc his inhaerente, imminutis quoque pendet. Quo fit, ut earum fibrarum, potissimum circulares, quarum contractione cibi desiderium nascitur, aut, ut is gratus sit, efficitur, non satis contrahant sese. Eadem quoque prima vomitus causa est. Sed, ut hoc ita est, sic ipsa vomendi actio a diversa origine pendet. Per generis enim nervosi legem, qua fit, ut aut stimulanis nimis aut sedans vis, altera in alteram vertatur, sedans hic quoque actio in stimulantem mutatur, et idem rerum ordo vertitur. Nauseae autem et vomitus altera causa evadit idem ventriculi status permanens. Quicquid enim, cibi nomine, assumitur, et aliquid assumendi necessitas



necessitas est, id, propter earundem fibrarum summam, quae esse potest, relaxationem, qua longitudinalium summa quoque, per ingestae sarcinae distensionem, contractio fit, quoque media quaedam actio antiperistaltica, in statu utriusque summam medio consistens, perit, non satis agitur; eoque fermentationi, quam subire debet, non per debitam diffusionem praeparatur. Hinc cibus non rite digeritur; eoque, quia non ad exiguam molem, quae distensionem a longitudinalibus in circulares fibras avertit, et motum peristalticum restituit, redigitur, illae distentae, hae relaxatae, indigesta moles intus retenta, permanent. Permanens porro haec aëra fixum de suo corpore, non satis ad id prohibendum agitato, dimittit, et ad distensionem augendam pertinet. Hinc circularium relaxatio confirmatur, fordium copia crescit, et hanc altera, nempe, humorum in ventriculum excretorum, effusa insuper auget. Cujus omnis turbae origo fibrarum longitudinalium nimia contractio, circularium relaxatio nimia, a debilitate pariter pendet. Relaxatio a potestate inhaerente nervosa et animali esse ex iterum iterumque dictis intelligitur. Contractio autem nimia, non, ut iusta, a robore, sed a debilitate quoque, efficitur. Estque atoniae spasmus gignentis,



nentis, secundum adagium Hoffmannianum, exemplum. Cum enim circularium et longitudinalium fibrarum actio contraria sit, ita ut ipsae inter se quasi antagonistae sint, et quo magis hae relaxentur, eo magis illae contrahantur; ideo, quae alterarum relaxationis causa debilitas est, eadem contractionis alterarum sit necesse est. Contrahuntur igitur, propter debilitatem, fibrae longitudinales, sed non ita, ut paulatim relaxentur, paulatim contrahantur circulares; contra, contractae immobiliter permanent: Quae contractio spasmus dicitur, et major fit in quibusdam neurosis atonicis longis, qualis dyspepsia est, quam plerumque in febribus. Hinc intelligi potest, distensio ultra tonum Gaubiana.

Cum vera enim atopia haec contractio est, et a stimulo, quem distensio dat, assidue debilibus et laxis fibris admoto, quam a nervosa, five in ipsis fibris, five in nervis earum, five denique in cerebro potestate, magis pendet. Sordes augere dicta est nimia humorum in ventriculum excretorum copia. Qui huc excernuntur humores sunt, humor exhalabilis, mucus, et liquor gastricus.

Hi excretionem compositam, ut ita dicam, in ventriculo faciunt, suntque, et ex iis, prae caeteris, liquor gastricus, humor solvens seu fermentum, quo



quo fermentato in ventriculo peragitur. Cui fermento proprium esse videtur, ut, cum alia exigua quantitate agant, plusque ea supervacuum sit, id exigua quoque quantitate, sed necessario, agat, ea plus non supervacuum solum sit, sed fermentationi officiat. Quam rationem certissima res confirmat. Cum enim perspiratio ita cum excretionibus interioribus, et inter eas hac, libretur, ut semper inter se contrariae sint, et cum illa augetur, hae imminuantur, et contra; ita, quoties augetur perspiratio, toties, inter alios ejus effectus, cibi desiderium augetur, et digestio melius perficitur. Unde cibi desiderium et digestionem non magna humorum ventriculi copia egere, sed contra, intelligitur; siquidem, quo tempore horum minimum excernitur, eo melius illa procedunt. Sed his humores abundantius effusi, si non expediunt digestionem, si contra retardant pessumdanque, ipsi accumulabuntur, et accumulati sordes augebunt.

Cujus rei causa est cordis et arteriarum, denique omnium, atonia, ab imminuta cerebri actione, potestatem animalem, nervosam, et inhaerentem in toto genere nervoso, ad has partes attingente, imminuente pendens. Atonia igitur, quae omnes arterias perspiratorias pariter, et interiores,  
in



in ventriculo, premit. Sed qui fit, ut illis imminuatur, in his augeatur tamen, secretio excretioque? In illis secretio, id est, perspiratio imminuitur; quia cordis et arteriarum, unde pendet, actio, imminuitur. Imminuitur autem haec ob potestatem nervosam ubique imminutam. Qua imminuta, ille imminuitur. Parent autem rubrarum arteriarum actioni vascula perspiratoria, quia rami aortae extremi, ad summum corpus euntes, in exhalantes ibidem terminati, rectiores, et truncis suis magis obvii, feruntur; hinc ad extremas has cordis et arteriarum rubrarum actio facilius transit. Hinc quae in majoribus arteriis, eadem in extremis perspiratoriis, actionem, eoque perspirationem, imminuit. Sed sub eadem universalium arteriarum atonia, quae etiam interiores fecernentes afficit, harum tamen secretiones, eoque in ventriculo, augentur; quia, impedita perspiratione, et averfis ab itinere summi corporis humoribus, pars aquosa aut alioquin attenuata sanguinis, ob debilem in rubris arteriis actionem, parte viscida non satis retinetur: Inde abscedit, et ad aquosas secretiones, ad quas sola libera via est, eoque ad interiores, interque reliquas, ad ventriculi perfluit. In quibus eadem fibrarum simplicium laxitas, vivarum atonia,

G

quae



quae perspirationem cohibuit, secretiones adauget. Quarum in vascula directi humores iis abundantius effluunt, quia distendenti moli laxatae fibrae facile cedunt, atonia laborantes minus sese contrahentes, diametros ampliatas ultro influenti humori offerunt.

Cutis justo ficcior, urina limpida, et alvi durities, cordis et arteriarum actionem in extremis aortae ramis, et secernentibus arteriolis inde continuatis, ubique languere monstrant. Cujus in genere nervolo causa ex dictis patet. Ex quibus affectionibus, alvi durities fibrarum intestinorum musculosarum, motum peristalticum peragentium, debilitati ex parte debetur. Quae debilitas unde pendeat, nequit ignorari. An cutis, etiam ineunte morbo, quandoque humescens, abesse spasmus posse denotat?

Post initium primi temporis symptomata aliquantum ab explicatis hoc discrepant, quod auctior hoc tempore actio, sed non tam aucta, quam in synocha, est.

Vitalium actionum symptomata sunt pulsus pleni, magni, celeres, molles, aliquando pulsantes, raro duri, rarius perquam celeres et inaequales. Quorum plenitudinem et magnitudinem facit sanguis, intus per summi corporis constrictionem



strictionem accumulatus. Quatenus iidem celeres sunt, explicatio jam ante tradita est; quatenus raro perquam celeres sunt, id, ex aucta quodam tenuis cordis actione, systolen melius peragente, explicabile est. Mollities abundantiam sanguinis non exquisitam, et fibrarum laxitatem, fractamque jam diathesin phlogisticam, significat. E quibus pulsatio in iis, quibus est, nondum ex toto solutam illam indicat. Sed pulsatio ita diatheseos phlogisticae reliquiae est, ut ei propria non sit, et aliquando in typho communi, aequae ac hic, adpareat. Sed ubicunque incidit, tempore quo incidit, sanguinis impetum auctum denotat. Quod non inaequales pulsus sunt, ea res non ad summam debilitatem ventum esse indicat.

Quod ad vitalem spirandi actionem attinet; spiritus crebrior est, ob causam relatam adhuc permanentem, et partim, quia plus sanguinis in pulmones sic debilitatos, ex constrictione summi corporis vasa extrema obtinente, conjectum est.

Anxietas et hic et ante a difficili sanguinis per pulmones transitu efficitur. Eadem frequentis suspirii causa est.

Naturalium actionum, quae nunc adficiuntur, affectiones pleraeque, ante quoque incidentes, explicatae sunt. Vomitus constantia permanere suam



suam causam debilitatem, et ab ea actionem nervosam, pro tempore augeri, sed nunquam ex toto restitui, documento est. In vomitu magis mediocri, cibus et potio tantum rejicitur, quia per eam mediocritatem ductus biligeri non emulgentur. Quas emulgeri bilis rejecta denunciat. Decolorationis bilis causa corruptio est; sed quae corruptio fit, aut quomodo fiat, dici clare nequit. Anxietatis hic molestissimae sedes ventriculus est, causa status hujus ante explanatus, maximeque vomitus vehemens.

Caloris intus et circa cardiacam quasi ponderis sensus ab affectione quoque ventriculi sunt. Sensus ponderis partim moli indigestae, vere ventriculum oneranti, partim debilitati explicatae, per quam fit ut etiam id materiae, quod alioquin facile latu esset, nunc oneri esse videatur, tribuendus est. Caloris, quatenus solum hic est, sensus ingratus ille est, quem acredo excitat. Quam acredinem quae praebeant non desunt, ut proprii ventriculo humores retenti et acres redditi, item alieni, qualis bilis, et, si distingui possent, humor pancreaticus, et alii in intestina excerni soliti. Aciditas, quae similem sensum, ut in dyspepsia, ubi cardialgiam alias quoque, creat, ut quomodo talis sensus incidere possit, illustrat, ita in morbo,  
ad



ad putredinem ruente, illius causa esse nequit. Scrobiculus cordis, ut dicitur, tactu dolens impeditum in illa summi corporis parte sanguinis motum significat. Hinc doloris et aegritudinis, in frigore febrili adeo frequentis et consuetae, sensus, restituto sanguinis ad summum corpus impetu, tolli solere notus est. Quomodo id fiat, nequeo dicere. Sitim partim regionis calor, partim deficiens faucibus propria, ob causas relatas, secretio, partim humorum corruptio, faciunt. Quae omnes causae decursu morbi serie inter se succedentes agunt.

Urinae, caloris tempore, color majori impetui, plusquam aquosas particulas percitanti, tribui recte videtur. Eiusdem flavedo jam nunc dissolvi sanguinem incipere, et serum secedere finire, ad docet. Sapor oris secretionem ibi turbatam arguit. Color linguae, aut diversis pro variante eo humoribus, aut eidem varianti, quomodo incertum, debetur. Sed exhalatio colorem mutare potest.

Tertio die mane remissio potius diatheseos phlogisticae reliquias, jam ex toto per contrarias potestates domitas, et auctam post debilitatem, perque eam lege corporis, actionem, quam debilitan-

tem



tem causam cessantem, mihi ostendit. Quam conjecturam secundi temporis turbæ, mox subsequuturæ, confirmant.

Sub noctem labra et gingivæ floridius solito, et quasi inde sanguine prorupturo, rubentia, jam sanguinem renovato supremum in media debilitate impetu, vel forsitan attenuari jam nunc coeptum, vel etiam, ut fieri potest, utroque modo, extrema vasa influere, argumento sunt.

Quem simul dissolutum, simul corruptum longus symptomatum, postero die incidentium, ordo declarat. Haec sunt, oculorum rubedo in fuscum, dein flavum, colorem transiens, sequens mox toto corpore flavedo, bilis putrescens et nigris sanguinis grumis permixta, supra et infra rejecta, sedimentum ex urina nigrum, cutis sudore viscido humescens, jam alta cutis flavedo, e naribus et gingivis sanguis effluens, spiritus male olens, urina nigricans, sudor gelidus, maculae lividae vel nigrae varie corpus distinguentes, sanguis cum urina ex interno oculi cantho, e cutis foraminibus et cicatricibus, varie diffluens. Haec partim solutum, partim corruptum sanguinem significare, hoc addiscitur, quod talis sanguis vena detractus, periculo facto, apprehenditur. Qui, ut verba historiae huc spectantia repetam, initio morbi detractus,



tractus, florente rubedine, perquam tenuis, et, ubi refrixit, crassamento vix cohaerente, invenitur. Secundo tempore magis etiam solutus, fero perquam flavo, crassamento, aquae spissae et conquassatae instar, undante, aliquando maculis nigris, multum putredinis sapientibus, supernatantibus, deprehenditur. Hic autem sanguinis detracti status est, ex quo, inter alias causas, jam fusius enumeratas et explicatas, quamvis primo morbi tempore symptomata diatheseos phlogisticae quodammodo restantis et intus latentis, speciem praebeant; hanc tamen solutam esse, et aut per caloris, primo opere stimulantis, magnitudinem, aut per actionem cerebri, ex sedante graviter noxa valide pro tempore brevi resuscitatam, illa symptomata fieri, existimo. Solutior post primum morbi tempus ad finem usque idem sanguis, partim debilis vasorum actionis effectus est, qua fit, ut sanguis, non satis agitatus aut diffusus, quod in omni debilitatis morbo, et ei contrarium, in omni aucti actionis, fieri notum est, attenuetur, partim a caloris secundo opere proficiscitur. Corrumpi intus, manente vita, sanguinem tam putredinis signa multifaria, quam certa haec in illo detracto, deflectensque a naturali calor, declarant.

Ejus



Ejus rei causa calor, humoris alimentarii mutationem afficiens, haud dubie est; id quod morbi putridi in omnibus regionibus sub solo calore incidentes, et ejus semper magnitudini respondentes, evincunt. Quinetiam, in secunda valetudine opus digestivum supremum, quod ad alkalascentem naturam sua sponte tendit, a calore semper augescens, et seminium morborum, a frigoris effectu diversum, faciens, idem porro illustrat. Hinc, dum, ut jamdudum Sydenhamus observavit, frigus diathesin phlogisticam gignens, ad phlegmasias viam facit, ita calor diathesin alkalascentem, seu ad putredinem vergentem, inducens, ad morbos in putredine positos ducit.

Et sic in duo quasi tempora divisus annus distinguitur. Quod si aucta corporis actio, ut in febribus, calorem ei naturalem augens, idem clare facit; id eodem redit. Potestas autem nocens propria ad idem vitium creandum minime pertinere videtur. Unde, putredinem, quae toties febres comitatur, non ab earum causa remota propria, oriri, neque a causa remota pendere, sed noxae ex earum numero, quae causae accidentales dici solent, effectum esse, eoque pro symptomate accidentali habendum, intelligitur. Calor



lor autem humores nostros vivorum non eodem modo, quo mortuorum, sed processum digestivum naturalem eo, quo naturaliter tendit, certius perducendo, corrumpere videtur. Flavedo corporis ejus corruptionis effectus est. Quare autem serositas prae caeteris sanguinis partibus flavescat, et parili corpus colore tingat, dici non potest. Sed in ea tamen flavedinem corporis constare, et non refusam bilem esse, color serositatis, extra corpus flavescere exploratus, et liber in intestina bilis transitus, demonstrant.

Postremo, humorum toto corpore per omnia foramina effusio haec plus justo patere, et in contraria spasmō conditione esse, saltem, quamdiu haec permanet, argumento sunt.



for autem hunc non con-  
modo, quo innotuit, sed  
naturam eo, quo natura  
ducendo, et innotuit, et  
eius corruptionis effectus  
notas per eadem signa  
et parvi corpus colore  
in ea tamen habundant  
retulit hunc esse, color  
flavescere exploratus, et  
transitus demonstrant.  
Folium, hunc totum  
transitus hunc plus  
trans hunc conditione  
hac per hunc, argu-  
mento sunt.







